



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 9. & 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

800 millia Leuitarum Iudaeos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos: praeterea muneribus aliis subiectos militiae quoque operam d. disse: nunc autem agros, domus, locationes edificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia huiusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat enim hunc Ecclesiae thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Modò autem duo quaedam mala committuntur. Nam vos quasi nihil dare debeatis, nihil conferitis, & Dei sacerdotes à sacerdotio aliena pertrahant. An non poterant etiam tempore Apostolorum domus & agri ab Ecclesia possideri? cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multò melius erat proficisci. Nunc verò secularium curarum vobis furentibus, timor vestros inuasis patres, ne dum colligere ac nihil seminare studeatis, viduarum orphanorum, & virginum multitudo fame deperat, quare commoti haec sibi comparare coacti sunt. Non libenter ad hanc se deformitatem immiserunt, qui desiderabant fructus ex vestra deuotione sic acquirere, ut orationibus solum attendere possent: nunc verò coëgitur eos eorum qui secularia gerunt negotia, curam & gubernationem imitari, vnde vniuersa commiscetur atque turbantur. Cum enim & nos eadem qua vos sollicitudine teneamur: quis propitium faciet Deum? Propter ea os aperiri non possumus, quia non melius Ecclesiam quam secularia gubernantur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quae à se labore fuerunt collectae, distribuendas putauerunt Apostoli? Modò autem in procuratores, dispensatores, campiones redacti Episcopi sunt obistarum rerum curam & sollicitudinem. Cumque oporteat ipsos animarum habere curam vestrarum, hoc praetermissum illa sollicitudo curant, qua publicanis, questoribus, atque villicis curanda sunt, de his quotidie cogitant & percuilant: Hoc non frustra deploro, sed vestrum rerum correctio & mutatio quaedam in melius fiat, ut & nos qui grauem hanc seruitutem patimur, misericordiam consequamur, & vos fructus & thesauros Ecclesiae preparatis: Si autem ita facere non vultis, ecce ante oculos vestros pauperes sunt, ex quibus quotquot potuerimus alere, non negligemus: quos verò non possumus, vobis dimittemus: quos aliter oro diligenter, ne in terribili die iudicii illa verba quae aduersus misericordes dicentur, audiat: Famefecit me vidistis, & non aluistis.

Auritia
populi Sa-
cerdotes sa-
cit acono-
mos.

Queritur merito Chrysostomus, sed de populo non autem Episcopis. Ecclesiam ait possidere opes, sed causam esse ait, si vultis, et vultis exiit apostolus. Propter vos, & vestram inhumanitatem. Nam populum habere thesauros, & liberales esse debere. Nunc illos nihil dare. Imo esse tunc si vultis, et vultis exiit apostolus, si-
rere circa res huius v. t. e. Ideo timuisse patres ne pauperum multitudo fame periret, coactus ad haec se dimittere. Coactos autem à populo. Imo seipsum in eorum numero collocat. Seruitutem grauem iudicat. Officia deinde sacerdotum proponit, nutrire inopes, oppressos protegere, peregrinos curare, orbos, viduas, virgines defendere. Ratione porro Sacerdotes eo onere liberandi ipse proponit. Καὶ ὅτι τῆς ἡμετέρας ἐκείνης δέκα μυριάδων ἀριθμὸν αἰμαὶ τὰς ἐνταῦθα συναζόμενες τέλει, καὶ ἐὰν εἰς αὐτὴν ἀγὼς μετεδίδετο τῶν πενήτων ἕκαστος, ἀπαιτῆς αὐτὴν εὐπορία, εἰ ἐξ ἐνός μόνον ὀβολοῦ, εἰς αὐτὴν ἦν πένης, καὶ αὐτὴν ποσὸν τῶν πενήτων οὐκ εἶδεν καὶ σκώμματα δότῃ τῆς πόλεως καὶ τῆς οὐρίας. Gratia enim Dei centum millia hominum huc conuenire opinor, quorum singuli si vnum panem quotidie pauperi cupiam offerent, omnes certe pauperes abundarent: si vnum unusquisque obolum so ummodo, nemo penitus indigeret: nec tot prostra & conuitia sustineremus, quod nimum ad possessiones sumus attenti.

Verum manet hodieque illa plurimorum inhumanitas, & plerumque diuitum. Mediocrium enim ciuium largior est manus, diuitum est in magnis opibus maxima tenacitas.

Denique optat multos scaturire fontes, areamque

atque gurgularem, populi deuotionem nobis fieri. Idem nunc quoque respondeo, excutitur deuotio populi, & opibus tam magnis Ecclesia non eget.

Quod si aliquorum nequitia, aut luxu Ecclesiae bona dissipantur, habent & illi iudicium damnationis. Ut etiam alij saeculares, qui iniuste illa occupant. Videmus enim nobiles familias & principales ob bonorum Ecclesiasticorum rapinam varijs modis quotidie interire. At multi Episcopi sunt praefecti militiae. Si sua voluntate, non excuso: si miserabili necessitate, non damno. Vices eorum doleo. Tam cogunt haereticorum violenta consilia πολεμεῖν, bellare, quam Laicorum tenacitas διακονεῖν, rerum secularium curam gerere. Oeconomus fures, abigeos, fraudatores abigit. Bellator latrones & hostes. Si vero hic verè trutinam exploremus, facile inueniemus quis in culpa sit. Praeful, quem sua sponte quietum, suis contentum, publico latrocinio sectarij inuadunt, an vero illi Episcopatum, eo tempore, quo Bullingerus ita scribat, patitores. Episcopos accusat, quod occidi se, quos suas diripi non permiserunt. Illos laudat, qui nefarium bellum contra omnia iura Episcopis intulerunt. Illi alienam crudelitatem coacti aliquando percusserunt in gladio, ne caderent.

VERSUS 9. & 10.

*Tunc impletum est, quod dictum per
Jeremiam Prophetam dicentem:
Et acceperunt triginta argenteos
pretium appretiatorum, quem appreti-
auerunt à filiis Israel: & dederunt
eos in agrum figuli, sicut constituit
mihi Dominus.*

QUESTIO I.

Quae Propheta citatur?

§. 1. IN Graecis & Latinis exemplaribus Ieremias ponitur. In Syro nomen Prophetae omittitur. Hinc triplex expositio. Multi ex loco Ieremias non edito, sed qui olim fuerit, esse Prophetiam putant. Alij esse librarium errorem pro Zacharia Ieremiam. Alij nullius nomen Prophetae apponendum. Nam eorum sententiam, qui errasse Euangelistas calumniati sunt, non refero inter eas, quibus scriptura exponitur, sed quibus deprauatur. Quartam expositionem addit Erasmus; nempe Zachariam fuisse binominem, vocatum etiam Ieremiam. Quam etiam rejicio, quod nusquam id in eo Propheta legatur, aut alio. Deinde quod Ieremiam omnes intelligant illi esse, qui tempore Iosue, & captiuitatis vixit, nec dubium videretur nomen, addo nec veteres Iudaeos, nec Christianos vnquam existimasse Zachariam etiam vocari Ieremiam. Itaque hoc est fugiendae difficultatis inane commentum.

§. 2. Erasmus memoriae lapsum concedit, & id sentire Augustinum asserit. Verba Erasmi sunt. [Certe etiam si fuisset in nomine dumtaxat memorizatus, non opinor quemquam addere morosum esse oportere, ut ob eam causam totius scripturae sacrae labasceret auctoritas, praesertim cum Augustinus libro de consensu Evangelistarum 3. cap. 7. tribuat auctoritatem, quod in nonnullis codicibus pro Ieremia scriptum inueniatur Zacharia: putat autem Germanam & Apostolicam scripturam esse Ieremiam. Nominis autem errorem tribuit lapsui memoriae, cuius nomen pro alio occurrerit, ita occultis de causis spiritus]

in Spiritu sancto moderante scriptoris mentem. Idem in hoc opere multis locis tribuere videtur obliuione quandoque et reminiscencia Evangelistis, siue dum post illis in mentem venit, quod multo ante fuerat gestum, atque hinc subinde distinguit ordinem recordationis ab ordine rerum gestarum: siue dum alijs verbis eandem cesserunt sententiam, veluti cum vnus ait, non sum dignus portare calciamenta illius, alius, non sum dignus solvere corrigiam calciamenti illius: quum v. eiq; de claret summa excellentiam Christi.]

Respondeo. Augustinum non sine manifesta calumnia citari. Nonquam enim Augustinus nominis auctorem vocat, aut tribuit lapsum memorie. Sed vnum nomen secreto Dei consilio, pro alio positum esse, idq; moderante Evangelistæ calumnia Spiritu sancto, cui nullus error, nisi ab errante homine, attribui potest. Augustinus meâ defensione non eget, valde ille quidem in nodo difficillimo soluendo laborat, nihil tamen auctoritate scripturarum indigens adducit. Eum igitur audiamus, & præparebit, quamvis periculosum illis fidere, qui parum fideliter scripturas exponunt. l. 3. cap. 7. de consent. Euang. Tunc inquit est quod dicitur: est per Hieremiam Prophetam scriptum: Et acceperunt triginta argenteos pretium prophetiam, quem apprehenderunt filij Israel, & dederunt ei in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Si quis autem nomen, quod hoc testimonium non inuenitur in scriptura Hieremias Prophetæ: & ideo putat fidei Evangelistæ aliquid de rogatione, priusquam non omnes codices Evangeliorum habere, quod per Hieremiam dictum sit, sed tantummodo se per Prophetam. Possunt ergo dicere his potius codicibus esse credendum, qui Hieremiam nomen non habent. Dictum est enim hoc per Prophetam, sed Zachariam: unde putatur, codices esse mendaces, qui habent nomen Hieremias, quia vel Zacharie habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam, sed tantum per Prophetam dicentem, qui vtiq; intelligitur Zacharias. Sed viatur ista defensione, cui placet: mihi autem cur non placeat, hac causa est, quia & plures codices habent Hieremias nomen: & qui diligenter in Graecis exemplaribus Evangelium considerauerunt, antiquioribus Graecis se perhibent inuenisse: & nulla sua causa, cur adderetur hoc nomen, vt mendositas fieret. Quod autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit vtiq; causa, vt hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur questione, quod hoc testimonium apud Hieremiam non inueniretur. Quod ergo intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore non sibi prouiderit a Dei, qui mentes Evangelistarum sunt gubernatus: Potuit enim fieri, vt animo Matthæi Evangelium scriptum pro Zacharia Hieremias occurreret, vt fieri solent, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab alio adnotante, qui ipso adhuc in causa viuente, hoc legere potuerunt, nisi egrediretur latens scilicet, qua sancto Spiritu regebat, non frustra occurrisset aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia in Dominus hoc scribi constituit. Cuius autem causa est, prima illa causa vtilis, si me debet facilius crediderit: etiam licet esse infirmatum, ita omnes sanctos Prophetas vni Spiritu locutos, mirabili inter se consensione constanter, vt deinde amplius sit, quam si omnium omnia Prophetarum vni vni bonis ore dicerentur: & ideo indubitanter debere quocumq; per eos Spiritus sanctus dixit. & si quilibet amant, & omnia singulorum. Cum igitur & quod dictum sit per Hieremiam, tam sint Zacharias quam Hieremias, quod dictum sit per Zachariam, tam sint Hieremias quam Zacharias, quid opus erat, vt emendaret Matthæus, cum aliud pro alio non nomen curreret, a se scriptum relegisset? Ac non potius sequens auctoritatem Spiritus sancti, a quo mentem suam regebat, nobis ille vtiq; sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut debemus non nos constituere a Dominus: ad informandum, tamam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, vt non absurde, imò congruentissime etiam Hieremias deprehendatur quod per Zachariam dictum reperimus. Si enim hoc quisquam volens aliquid verba inducere, dicat nomen

alterius a quo dicta non sint: qui tamē sit amicissimus & familiaritate coniunctissimus illi cuius verba dicere voluit: & continuo re. ordatus alium pro alio se dixisse, & collat atq; corrigat, vt tamen dicat, bene dixi, quid aliud inueniens nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cuius verba dicere voluit, & alium cuius ei nomen pro illius nomine occurrat, vt tale sit hoc ipsum dixisse, quale si ille dixisset: quanto magis hoc de Prophetis sanctis intelligendum & maxime commendandum fuit, vt omnium libros tanquam vnus vnus librum acciperemus: in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inueniretur, & in quo maior esset constantia veritatis, quam si omnia illa vnus homo quamlibet doctissimus loqueretur. Quot ergo hinc a gementum sumere conatur vel infidèles vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Evangelistarum, hac potius debent assumere fideles & docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam Prophetarum. Est & alia causa, qua mihi videtur alio tempore diligentius pertrahenda, ne amplius sermonem protendamus quam huius operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Hieremias in testimonio Zacharie, sic manere permixtum vel potius Sancti spiritus auctoritate præceptum sit. Est apud Hieremiam, quod emerit agrum a filio fratris sui, & dedit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretij quod positum est apud Zachariam, triginta argenteos, verum tamen agri emptio non est apud Zachariam. Quod autem Prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quod modo de Domino completum est, vt hoc esset pretium eius, manifestum est: sed ad hoc pertinere etiam illud de agro emptio quod Hieremias dicit, hinc potuit mystice significari: vt non hic Zacharia nomen poneretur qui dedit triginta argenteos, sed Hieremias qui dedit de agro emptio: vt lecto Evangelio atq; inuenio nomen Hieremias, lecto autem Hieremias & non inuenio testimonio de triginta argenteis, inuenio tamen de agro emptio, admonatur lector verumq; conferre, & inde sensum enodare Prophetiam, quomodo pertinet ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subiicit hic testimonio Matthæus, cum ait: quem apprehenderunt filij Israel, & dederunt ei in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus: nec apud Zachariam nec apud Hieremiam reperitur: Vnde magis ex persona ipsius Evangelistæ accipiendum est, elegantem & mysticè insertum, quia hoc ex Domini reuelatione cognouerat, ad hanc rem quæ de Christi pretio facta est, huiusmodi pertinere Prophetiam. Liber quippe empti agri apud Hieremiam iubetur mitti in vas fictile, & emittit hic de pretio Domini ager figuli, & hoc ad sepulchram peregrinorum tanquam ad primansionem quietis eorum, qui in hoc seculo peregrinantes conspiciunt Christo per Baptismum. Nam & illi emptionem agri hoc significare Hieremias dicit Dominus, quia erit permanens de captiuitate liberatorum in illa terra. Hac tanquam delineanda arbitratus sum, cum adnotarem quid in his Prophetarum testimonio in vnum redactis, & Evangelicæ narrationi collatis, diligentius attentiusq; requiratur. Hac interposuit Matthæus de Iuda traditore.

§. 3. Hinc igitur planissimum est, Augustinum, nullum memorie lapsum Evangelistis tribuisse. Nec morosus deinde est, qui tantæ auctoritatis scripturæ Scriptores tam arbitrat, vt nullus ne minimus quidem fuerit sacrorum errorum in scriptore lapsus, sed qui etiam aliquando in re factis arguere scriptores iudicat, infidelis est. Hanc Erasmi opinio est esse infirmam Caluinus & alij hauserunt, quos idcirco in suâ delem. defensione Vorstius perstringit, non vt damnet, sed ne durus contra suos errores agatur. Principium tantæ blasphemie est ab Erasmo. Nam hæretici scripturis non credunt, cum enim redarguuntur ex scripturis, vertuntur in accusationem Prophetarum & Apostolorum, quasi vera non scripserint. Vorstius responsione ad alias fratrum obiectiones morem istum ostendit. Denique obicitur in primis illud de Apostolis, alijq; N. T. scriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuisse, sed an non eadem aut similia habet Caluinus? cum in-

terdum eisdem scriptores aut superflua quedam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in historia turbare, aut quædam ex V. T. minus appositè citare, &c. non obscurè scribit? Pro multis sic vult ille locus in 1. Ioan. 2. 14. Vbi dicitur, ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his scilicet verbis: scribo vobis pueri. Sed vt Calvinum hic omittamus, quid de Francisco Lumo videtur? qui in locis communibus recentè hic impressis, lib. cap. 19 non veretur affirmare: Scriptores noui testamenti aliquando scientes, præter veritatem historiarum quædam scripsisse, sicutim aperit scribit pag. 61. & 62. Eos interdum recepto errori aliquid ex caritate concessisse, & propter opinionem publicam à veritate historia deflectisse, adeoque præter veritatem quædam sacro textui inseruisse. Plura id genus exempla ex Doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione adferri poterunt.]

S. 4. Probabile est, verba quæ citat Euangelista ex Jeremia Prophetia desumpta esse. Vel aliquæ quæ intetijt, olim tamen nota sunt, vel quæ scripta non sunt, sed traditione nota. Nec dubium est in lamentationibus super Iosiam multa de Christo fuisse prophetata, quæ olim notissima, nunc interierunt. 2. Par. 35. 24. Et vniversus Iuda & Ierusalem luxurunt cum, Ieremias maximè: cuius omnes cantores, atq. cantatrices vsq. in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant. & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum feruit in lamentationibus. Quin & alia fuerunt à Jeremia scripta, vt constat ex 2. Maccab. cap. 2. 1. Vbi agitur de descriptionibus Jeremia, & historia narratur. Multa prophetasse eum, quæ non sunt scripta, ex varijs locis constat, vt cap. 20. 8 & 25. 3. à tertio decimo anno Iosia factus est sermo ad Ieremiam, & scripta tamen non sunt, nisi quæ à diebus Iosia regis Iuda sunt gesta, cap. 1. 3. & cap. 30. 2. omnia verba in libro scribere iubetur, quæ Dominus ad eum locutus, at illa quæ tempore Iosia prophetavit, scripta non sunt.

Deinde duplex volumen, quod cap. 36. ex ore Ieremias Baruch descripsit, non exstat. Nam qui exstat, eius aliud est argumentum, & lectus est Babylone, non Ierosolymis, vt est Baruch, cap. 1. v. 2. Non mirum ergo si hæc in Jeremia libris fuerant, qui nunc desiderantur.

Enuncit hoc ipsum auctoritas veterum. Nam tempore Tertulliani, Origenis, Hieronymi lectio illa usitata fuit. Tertullianus l. 4. contra Marcionem, quasi certo Ieremiam citat, cap. 40. Nam & quantitatem, & exitum precij postea Iuda penitente reuocati, & in emptiorem dati agri figuli, sicut in Euangelio Matthæi continetur, Hieremias præcavit. Cum vero illo tempore ita usitata fuerit illa lectio vt nemo eam, nisi quidam audaci imperientia, apud Augustinum sustulerit, ne nunc quidem mutanda videtur.

Nec tamen aliorum, vt Iansenij in Concord. c. 111. Ruperti damno interpretationem, qui vel nomen Prophetæ omittendum, vt sit in Syro, vel posiro Zachariæ nomine corrigendum censent. Sed hanc vt dixi veritiorem existimo, quæ in omnibus libris nunc legitur. Et quam nemo mutare prudens ausus est.

QUESTIO II.

Quomodo Prophetia Zachariæ conveniat cum verbis Euangelistæ?

Conciliatio S. 1. Non est necessaria nobis illa Zachariæ, & Matthæi conciliatio, cum ex Jeremia feri-

ptis, quæ superesse ad nostra tempora Deus noluit, & testimonium sumptum dicamus. Si tamen ad Zachariam referre cupiam lubeat, aliquod discrimen inter Prophetæ verba, septuaginta interpretes, Euangelistam reperiet. Prophetæ verba ita habent c. 1. 12. Et dixit ad eos: si bonum est in oculis vestris, asserite mercedem meam; & si non, qui scitis. Et appenderunt mercedem meam triginta a gentios. & dixit Dominus ad me: Præge illud ad statuarium, decorum precium, quo appretiatum sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium. Ita habent Hebræa ad verbum. Vbi in Hebræo עֶרְוָה est fictor, figulus, statuarium. Potest & veteri Thesaurarius. Decorum precium est. עֶרְוָה Eder h. iker, Deus precij, vel magnificæ entis, gloria. At 70. interpretes καὶ ἐποι πέντες αὐτοὺς; ἐὶ καὶ οὐκ ἐκ τῶν ὁρίων ἐστὶ. δότε τὸν μισθὸν μὲν, ἡ ἀπ' ἐκείνου. καὶ ἐποίησαν τὸν μισθὸν μὲν τετρακκοῖς ἀργυρῶν, καὶ ἔπειτα ἐπὶ πέντες μὲν. καὶ ἔδωκεν αὐτοὺς οἷς τὸ χροῶν πηλοῦ, καὶ σκεύη λευγὰ ἐὶ δοκιμὸν ἐστὶ, ὃν ἔπειτα ἐδοκίμασεν ὁ θεὸς αὐτῶν, καὶ ἐλάβον τὰς τετρακκοῖς ἀργυρῶν, καὶ οὐκ ἐδωκεν αὐτοὺς ἐῖς τὸν αἶκον κυρίου ἐῖς τὸ χροῶν πηλοῦ. Et dñs ipsis, si bonum vobis videtur: in conspectu vestro, date mercedem mihi, vel denegate, & constitue: unt mer. eadem meam triginta argenteos; & dixit Dominus ad me: Pone eos ad statuarium, & videbo, an probatum sit, sicut ab illis probatum est, & accepi triginta argenteos, & proieci eos in domum Domini ad statuarium.

Syrus interpres habet, & accepi דְּנֵשֶׁבֶת denesheth, & eodem modo, dedi. Pro appreciauerunt habet עֶרְוָה ketfu, pacti sunt.

Non tamen repugnat Prophetia & Euangelium. Nam Matthæus Prophetiam expletam refert, ideo sensum eius interpretatur. Nam Prophetia sustinet personam Iudæ, qui precium accepit, & proiecit ad statuarium in templum. Illa autem verba: sicut constitui mihi Dominus, in veteri testamento non sunt. Videatur & Hieronymus de optimo genere interpretandi, & Origenes in hæc verba, qui sumpta patet ex ἀρχαίων Iudæorum monumentis seu traditionibus: nam hæc verba difficulter sane accommodantur. Vide Riberam nostrum in Zachariam, Locum porto vniversum Christo hunc in modum accommodant. Queritur Dominus se Isaac esse pastorem, sed cum gregem parum proficere videret, quasi indignatus irritum impendi laborem ingratum, frangi imperat iugum, seu pastorale pedum quo factum, officio quasi renunciat: Tum vero omnino deiciantur animis, mercedem postulat: appendunt autem triginta argenteos, sacrificia, & caeremonias legis Domino dependentes. Dominus vero projici in templum iubet ad statuarium, quasi dicat: non egere se precio. Figulorum hoc esse, qui Deos fabricantur, & precio vendunt. Hoc ergo precio dominum Deum veteres Iudæi aestimant, & nunc etiam Sacerdotum principes, quod Iudas proiecit in templum, principes mittunt ad figulum. Discrimen in eo duntaxat inuenitur, quod veteres illi pastorale officium Domini sui eā mercede pensarunt, hi autem sanguinem Domini eo precio aestimant.

VERSUS 11. 12. 13. 14.

Iesus autem stetit ante præsidem & interrogavit eum præses dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus. Tu